



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1637

Secvndvs Dies.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50934)

SECVNDVS DIES.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri.

EXaminis generalis modus, particulas seu puncta quinque complectentis.

PRIMUM PUNCTVM est. Domino Deo nostro pro beneficiis acceptis gratias agendas esse.

SECVNDVM. Quòd debemus pro cognitione & expulsionem peccatorum gratiam flagitare.

TERTIVM. De admissis præsentis die peccatis rationem ab animâ nostrâ exigere, per horas singulas ex quo surreximus vestigando: & primò quidem circa cogitationem, deinde circa loquelam atque operationem, eodem ordine quo in particulari examine traditum est.

E 2

QVAR-

QUARTVM. *Poscere veniam de delictis.*

QVINTVM. *Proponere cum Dei gratiâ emendationem; & Orationem Dominicam post dicta omnia recitare. Pater noster, &c.*

De examine generali.

EXamen generale est Exercitium tanti momenti, vt vix aliud reperiatur, quod dæmonis conatibus & tentationibus maius ponat obstaculum, nisi fortè idem sit de examine particulari, propter easdem rationes; atque ita omni studio laborandum est, vt illud rectè fiat.

Fines & fructus huius Exercitij sunt duo illi qui titulo illius comprehenduntur. *Ad purgationem anime, & ad peccatorum confessionem utilissimum.* Puritas acquiritur tribus mediis. Primò, Cognitione radicis interioris vitiorum, vt eam præscindamus. Secundò, Ex-
teriores

teriores lapsus occasiones notando, vt eas remoueamus. Tertiò, Dolore & odio peccatorum; vnde nascitur propositum & cura ea emendandi.

Omnia illa per examen acquiruntur.

1. Radix vitiosa deprehenditur, notando in quæ peccata magis ordinariè & frequentius labamur; quod is qui se non examinat scire non potest. Velut is qui ordinariè à domo suâ abest, scire nequit quid ibi rerum agatur, nec qui ibi committantur, & vnde illi proueniant defectus.

2. Examine hoc in notitiam venimus occasionum externarum, vt eas fugiamus. Velut is qui in saxum aliquod impingens cadit; si non reflectat, nec lapsus istius causam consideret, vix aliàs tales incurfus effugiet, & frequentius cadat necesse est: sic qui per examen hoc ad occasiones defectuum & peccatorum non reflectit, quomodo eas deserere, & ab iis sibi cauere poterit: haud dubiè frequentius in eadem relabetur.

E 3

3. Do-

3. Dolor, & emendationis propositum ad quartum & quintum examinis Punctum pertinent.

Secundus finis est *Peccatorum Confessio*. Quæ vt utiliter fiat, debet esse clara, integra, & cum dolore & emendationis proposito fieri debet. Ad integritatem multum iuuat tertium Punctum examinis: qui enim in eo peccata illo die commissa in memoriam reuocare studet, facile eorum Confessionis tempore recordabitur. Et quamuis non sit obligatio confitendi venialia; quia tamen illa propter maiorem animæ puritatem confitemur, æquum est, vt eadem etiam, propter eandem causam, & spiritualem nostrum profectum, quotidie examinemus. Quod si ita non fiat, contingit, vt Confessionem instituamus solis verbis, & modis dicendi tam generalibus, vt commisceamus frequenter grauiores culpas leuioribus, & iis etiam quæ culpâ vacant: & hinc prouenit, quod tamen si culpa maior vel minor, aut etiam nulla sit,

fit,

fit, confessio tamen sit eadem, iisdem-
que verbis speciosis, & tamquam im-
pressis, prolata. Quæ omnia decla-
rant, quòd examen cum exiguâ luce
rerumque notitiâ, & in genere etiam
eâdem, & non maiori confusione fa-
ctum sit.

Alium etiam defectum, eumque
grauem, solent habere confessiones,
dum nempe cum exiguâ contritione,
hoc est absque dolore & emendationis
proposito, fiunt: cui occurritur, si sol-
licitè & benè seruentur duo postrema
Puncta examinis.

MEDITATIO

DE PECCATIS.

HOc die fiet Meditatio de pecca-
tis, vt quis ea cognoscat, & fu-
giat. Et innititur hæc Meditatio qua-
tuor Punctis fundamenti: exempli
causâ, capiendo pro regulâ vltimum
finem, propter quem reliquæ omnes
creaturæ, & nos creati sumus; tum no-
tando,

tando, quoties ab eo nostro fine deuiauerimus, & vim creaturis iis abutendo fecerimus; tum descendendo ad istorum defectuum odium, quo ad debitum finis huius amorem reducamur. Et sic habet hoc Exercitium duas partes.

Prima spectat ad notitiam defectuum nostrorum, secunda ad eorum odium.

PARS PRIMA de notitiâ propriâ peccatorum nostrorum.

Prima hæc pars duas habet Notas, & quatuor Puncta.

PRIMA NOTA. Quò quis meliùs operum suorum declinationem à recto cognoscat, & videat, opus habet regulâ quadam & rectâ lineâ, ad quam illa examinet. Ista regula Primò est ultimus noster finis, cui ea respondere debent. & hinc quia Sancti omnes huius finis rectitudinem optimè nouerant, non exiguam in leuioribus etiam defectibus

fectibus compunctionis materiam inueniebant. Hinc D. August. *Miser ego! quando poterit mea obliquitas tuæ rectitudini adequari?* Secundò, Exempla Sanctorum. *Imitatores mei estote, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram,* ad Philip. 3. Tertiò, Regula huius notitiæ esse nobis possunt nostra bona proposita, feruores, & exercitia præterita, hinc pudoris materiam sumentibus, quòd cum debuerimus in virtutibus magnum fecisse progressum, multum ab iis deflexisse nos conspiciamus.

- SECUNDA NOTA. Quòd id genus examinis, quo per orationem in suis notitiam veniat, non debeat esse quale id quod fit in ordine ad confessionem, sed magis ei simile, quod fit quando quis vult reddere rationem conscientia, notando errores & tentationes ordinarias, ad passionum prauarumque inclinationum radices euellendas, statumque virtutum & spiritua-lem profectum inducendum.

E 5

Porro

Porro hoc Exercitium notitiæ sui ipsius, quo quis defectus suos cognoscat, reduci potest ad quatuor capita siue Puncta.

PRIMUM PUNCTUM. Cogitationes, verba, & opera.

1. Cogitationes otiosæ, dissolutæ, inutiles, machinæ in aëre; intentiones, inuentiones & ratiocinationes tendentes ad consequendum honorem, bonam lautamque tractationem & commoditates, omneque id quod mundus amat & quærit; indignationes, querelæ & inuidiæ eorum qui suis conatibus obstant, eosque impediunt, vanæ delectationes & tristitiæ.

2. Verba otiosa, intempestiua linguæ dissolutio, leuitas in loquendo, risus, facetiæ, indiscretionis, defectus prudentiæ, querelæ de Superioribus, murmuraciones de absentibus, affligere & pun gere præsentis, suaque vanitate & iactantiâ omnibus malum exemplum dare.

3. In operibus, otium, studium rerum

rum inutilium, ab vtilibus auersio, fugere laborem, priuilegia & exemptiones quærere; viuere inter suos cum exiguâ ædificatione, & inter sæculares more illorum.

SECYNDVM PUNCTVM. Sunt tria vota.

1. In Paupertate, desideria commoditatum, non permittendo sibi quidquam deesse, procurando meliora; particularitatum esse amicum, non contentum esse eo quod habet communitas, omnia alia desiderare, facile dare, accipere, commodare; quæ suo appetitui & desiderio desunt importunè petere, etiam adhibitâ operâ sæcularium.

2. In Castitate, exigua cordis custodia, minor sensuum; inuolutum & irritum esse variis cogitationibus, phantasiis, affectibus & amicitiiis particularibus.

3. In Obedientiâ, durities iudicij, murmurationes, & aperta indicia reluctantiæ, tristitia, defectus executionis;

non

non esse exactum, humanis vti mediis quò quis suum finem consequatur, & Superiorem in suam sententiam pertrahat; facilem esse in contradicendo, suaque sine præuiâ oratione, sine electione, sine motiuis spiritualibus & maioris Dei obsequij curâ, proponendo.

TERTIVM PUNCTVM. Exercitia spiritualia orationum, examinum, lectionis spiritualis, pœnitentiarum, Missæ, Confessionis & Communionis, &c. illa sine urgente causâ negligendo, in iis se sine spiritu & deuotione gerendo, non conformando se Regulis & instructionibus. Et in hoc Puncto expedit reflectere ad instructiones quæ pro singulis sunt, & notare in quibus defecerimus, & in quo nos illis conformare debeamus.

QUARTVM PUNCTVM. Omnes nostræ ordinationes, instructiones, & Regulæ tam summarij Constitutionum quàm communes, & omnium Officialium in particulari, singulas, si tempus
sup-

suppetat, diligenter examinando & discutendo. 1. Quid Regula præcipiat. 2. In quo erratum sit. 3. Quomodo hoc emendari debeat. Et hoc Exercitium nonnumquam sumi potest loco orationis, frequenter loco lectionis libri spiritualis. Verùm iam Exercitiorum tempore fieri conuenit examen circa Regulas aliquas magis principales, quales sunt, rationem reddere conscientiaë, de correctione fraternâ Regulæ conformi, de silentio, de non ingrediendo aliena cubicula, de litteris sine veniâ non scribendis aut recipiendis, de pecuniis non asseruandis, de usu nullius rei tamquam propriaë.

Et hîc notandum, vt initio dixi, quòd, vt quis facilè in suorum defectuum cognitionem veniat, multùm iuuabit, si præsentem hunc suum statum cum eo, in quo aliquando meliùs se habuit, conferat, oculosque coniciat in exempla, quibus in eo particulares aliquaë personæ spirituales, perfectæ, notæ, nobis prælucent; vel tandem,
quâ

quâ erga Deum tenetur, obligationem, perfectionemque & sanctitatem, quam à se Deus exigit, consideret. Illæ enim tres Regulæ sunt, quas initio proposuimus.

Et quia totum illud examen vno die fieri non potest, bonum erit quotidie aliquid ei temporis impendere: postquam verò octo Exercitiorum diebus totum illud spatium decurrerit, per totum anni decursum postmodum cum otio illud continuabit.

Tandem nota. Quòd sicut quidam suis semper rebus & opinionibus ex passione quadam adhærentes, in omnibus excusationes prætendunt; sic alij, quando præsertim recollectioni & deuotioni se dant, eandem illam passionem exercent in nimiâ sui accusatione, in omnibus se supra modum grauantes: quibus magis vtile foret, si defectus singulos, quibus verè illaqueati sunt, & remedium reformationemque exigunt, quietè, cum otio & prudenter considerarent, eosque, ob rationes
 quas

quas mox dabimus, breuiter annotarent.

SECUNDA PARS *de dolore peccatorum.*

Secunda huius Exercitij pars est, dolor & odium peccatorum: eiusque præcipuum motiuum est, quòd ab ultimo nostro fine recesserimus; quæ est vnica radix & causa contritionis. Porro ad hunc dolorem in nobis excitandum iuuabunt sequentia.

Primò. Fœditas & turpitude, quam culpa secum inuoluit, est ea irreuerentia, contemptus & offensa tam magni Dei. Et cum ipse propter se, tamquam vltimum finem, nos creauerit, nos ipsi terga verterimus, eumque deseruerimus. Cumque ipse amicitiam suam nobis liberaliter obtulerit, nos eum contemnentes, paruique facientes, vltioris alicuius creaturæ affectum & amorem ipsi prætulerimus. Et cum ipse omnium creaturarum vsum nobis ad eius obsequium concesserit, nos in eis, tamquam si dij illi nostri forent, cor nostrum

80 PRAXIS ET DECLARATIO

nostrum fixerimus ; easque præ Deo, cum grauiſſimâ eius offensâ, eligendo, omne ius Deo fruendi, pro tam fœdo creaturarum abusu, miserè perdidimus.

Secundò. Turpitude illa apparet in mysterio Incarnationis Dominicæ. Ipse enim Dei Filius se hominem fecit, laborauit, passus & mortuus est, vt nos à peccatis liberaret, & à viis pessimis & obliquis ad veram vltimi nostri finis viam reuocaret. Et hinc, quando peccamus, verè dicimur Filij Dei sanguinem, labores, vitam & ipsam denique mortem contemnere. Ad Hebr. 10. *Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, &c.*

Hæc est grauiſſima vna Apostoli ponderatio. Peccati enim malitia etſi omni tempore magna fuerit ; tamen post Saluatoris nostri mortem, propter eius personæ contemptum, & summam pro tam illustri beneficio ingratitude-
nem,

nem, grauior facta est. Et hoc est quod ponderabat Apostolus, cùm diceret, Is qui contra legem Moyfi peccauerat, à duobus testibus conuictus, absque vllò remedio morti erat obnoxius. quantò maiores tuo iudicio pœnas meretur is, qui Dei Filium suis substernit pedibus, eius vitam & mortem, quæ ad peccati destructionem dirigebatur, malitiosè spernens, quiq̃ue spiritui gratiæ iniuriam facit, quem nobis ille idem, ne in peccatum relaberemur, meruit; & qui sacrum illum Sanguinem pro noui Testamenti confirmatione effusum contemnit, tamquam si profanus foret animalium quæ olim in sacrificiis offerebantur?

Tertiò. Peccati malitia innotescit, ex parte hominis qui peccat, duobus modis, consideratione nempe sui nihili, & dignitatis.

Quoad abiectiõnem, 1. Comparatione cum ceteris creaturis, homo nihil est: si cum Angelis eum compares, multò minus; quid ergo comparatione Dei?

F

2. Con-

2. Considerando eum quoad corpus, est vas corruptionis, ex quo tamquam sentinâ fœtores fæcesque perpetuò fluunt, extrinsecus dealbatum, vt non appareat quod intus occultatum latet.

3. Quoad animam multò est contemptibilior: ex illâ enim prodeunt tot contra Deum peccata, & tot abominations. *De corde enim exeunt cogitationes mala, &c.* Et iniuria maior est quam facit, quò homo minor & vilior est. Quod verò ad dignitatem hominis attinet, creatus est ad imaginem Dei, eius Sanguine redemptus, ad fidem vocatus & ad Dei Ecclesiam, sacrosancto Christi Corpore & Sanguine partus, & tot beneficiis honoratus: quæ quò maiora sunt, eò & grauior est ingratitude & iniuria.

Quartò. Eadem grauitas apparet ex parte Dei qui offenditur.

i. Contra Deum infinitæ potentia: qui, cum homo peccaret, poterat eum ad nihilum redigere.

2. Con-

2. Contra Deum tantæ sapientiæ: qui secretissimas cordis cogitationes, & quantum homo faciat & cogitet in delinquendo, clarissimè videt.

3. Tantæ iustitiæ: qui tot iam de factò animarum myriades, perpetuùm arsuras, propter eadem & similia peccata, eodemque tempore quo ego illa commisi, in infernum præcipites dedit.

4. Tantæ bonitatis & misericordiæ: quæ sola eius cohibet iustitiam, quò minùs mihi pœnas debitas propter grauiissima mea peccata infligat.

Sanctus Pater noster Exercitium concludit hoc Puncto, dicendo:

QVINTVM PUNCTVM, in exclamationem prorumpere ex commotione affectus vehementi, admirando valde, quomodo creatura omnes (discursu factò per singulas) me sustinuerint tamdiu, & huc usque viuum seruauerint: quomodo Angeli, diuinæ iustitiæ gladium ferentes, a quo me animo tulerint, custodierint, suisque etiam inuenerint suffragiis; quomodo pro me intercesserint Sancti: quomodo calum,

*sol, luna & alia sidera, elementa, cunctaq;
animantium genera, & terræ germina,
debite vindictæ loco, mihi seruiuerint, ut
quo denique modo non absorbuerit me
dehiscens tellus, & mille infernos rese-
rans, in quibus perpetuas pœnas daturus
essem.*

De peccatis venialibus.

Quamuis peccata venialia homines
gratiâ non spolient; sunt tamen
multa, quæ nos ad eorum odium &
fugam excitant.

1. Sunt culpa & Dei offensa: quod
iis, qui Deo placere student, sufficere
debet.

2. Sunt maculæ & animæ turpes
notæ: quæ pudorem & verecundiam
incutiunt, quò minùs coram Deo com-
parere, instar cuiusdam qui fuligine
denigratus est, quis audeat.

3. Charitatis feruorem, & rerum
spiritualium gustum minuunt, velut
crassi prauique humores sensus mo-
tumque vitiant.

4. Tol-

4. Tollunt omnem in Deum fiduciam. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus.*

5. Feruorem minuunt, & vires efficaciamque orationis debilitant. Deus enim, non sine ratione, auxilia sua ei negat, quem tardum & negligentem in suâ voluntate explendâ inuenit. Threnor. c. 3. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus; idcirco tu inexorabilis es. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. Zachar. 7. Et non audierunt: sic clamabunt, & non exaudiam eos.*

6. Disponunt ad lapsum in culpas mortales: nam homines usu familiaritateque minorum, paulatim maiora contemnere incipiunt; & tandem eâ spiritus debilitate eneruati, grauioribus nequeunt resistere tentationibus.

Nota, non esse consultum, vt tota hora examini lapsuum nostrorum impendatur, neque etiam vt collocetur in expendendis iis quæ ad contritionem moueant, sed potiùs hæc semper sese mutuò comitentur.